

1551 perio exierat ; qui secum Dragutem ducens nonis julii Coryrae euripum prætervectus , cum ad Siciliam appulisset , an de Aphrodisio , ac Canestrio sibi restituendis Cæsaris mandata accepisset , a Prorege peti jussit ; ea si haberet , nullius damno , aut injuria cursum in orientem flexurum . Insueta certe res ,

*Sinanii  
Basse, clas-  
sis Turcarū  
imp. a Siciliā  
proroge  
postulata.  
Siciliā pro-  
rogis respon-  
sum.*

*Augusta a  
Sinane ca-  
pta.*

*Antonius  
Auria tem-  
pestatis vi  
otto trire-  
mes amit-  
tit.*

*Gaulum a  
Sinane ca-  
ptum.*

quæque cunctos in admirationem raperet , præpotentem navi- giorum numero , ac viribus classem Byzantio usque in Sici liam provectam , pacifco cursu intra Hellespontum se subdu- cere . Sed cum ejusmodi a Prorege responsum tulisset , ob ea oppida ex archipiratae humani generis hoste manibus erepta ad- versus inducias , quæ Cæsari cum Suleimano essent , nil actum existimare , neque ad ea restituenda obstringi ; commotus ira Sinanes , Augustam urbem incendit , arcem tormentis disjectam nullo obſidente , capit , ac diripit . Nam Andreas Auria cum quadraginta triremibus adhuc in Hispania , quo , ut diximus , Philippum , & Maximilianum devexerat , detinebatur . Antonius illius nepos , qui circa Neapolim , ac Siciliam cum quin decim triremibus substiterat , & ad commeatus , tormenta , aliaque belli usui necessaria in Aphrodisium importanda profi ciscebatur , ad Lampedusam insulam tempestate correptus , octo triremes amiserat , cum reliquis in Africam trajiciens , præfi dio , quod supererat in urbem immisso , reversus est .

Turcæ e Sicilia ad Melitam profecti , insulam , barbaræ cru delitatis vestigiis relictis , vastarunt ; ac novem eductis mura libus tormentis , cum urbem , atque arcem aggredi Sinanes vellet , rei difficultate deterritus , milites , ac machinas recipi intra triremes jussit . Inde ad Gaulum , octo a Melita passuum millibus profectus , exscensione militum facta , tormentisque eductis , oppidum adoritur ; in quo primo machinæ iſtu præfecto , summa opinione virtutis inter Hierosolymitanos milites , discerto , ac cæſo , triduo affiduis verberationibus oppido eo simul cum arce concusso potitur . Eo everso , tribusque hominum millibus in servitutem abductis , recta Leptim , *Tri polis* hodie dicitur , Africæ urbem , contendit . Leptitani , quo expeditius oppidum tuerentur , in duas naves mulierum , fenum , ac puerorum turbam inutilem , atque imbellem conje ctam , asportari in Siciliam jussere ; quæ cum forte in Tur cicam classem incidissent , capta , miserandæ servitutis jugum subi-